

† R. P. Iosephus Nusbaum (1844–1934)

(*Prov. Argentor.*)

Die 9 mensis Martii a. 1934 nonagenarius obiit in domo nostra B. M. V. ad Tres Spicas Adm. R. P. Iosephus Nusbaum, cuius sat eminent virtutes atque opera, ut etiam quarto post obitum anno in lucem proferri mereantur.

In loco Bergheim Alsatiae Sup., e quo complures neenon optimi ex nostris prodierunt, d. 13 Apr. 1844 piis probatisque parentibus ortus, sese cum in schola, tum in ecclesia ac domi egregium praebuit. A. 1858, cum in vico natali Redemptoristae s. missionis praedicationi incumbenter, vocatio sacerdotalis et religiosa in adolescente est excitata, quam ipse cito ferventerque est prosecutus. Biennio (1859–61) apud Marianistas in collegio vicino S. Hippolyti transacto, novitiatum nostrum ingressus est et d. 15 Oct. 1862 vota nuncupavit. Studia theologica in collegio Teterchen absolvit Praefecto P. Desurmont, cuius memoriam, quamdiu vixit, filiali, immo religiosa quadam veneratione coluit. Treviris sacerdotio auctus aliquot menses Londini (Clapham) est commoratus, ut Gallis non paucis, qui bello Gallo-Germanico in exsilio propulsi erant, auxilia religiosa praestaret.



Effigies c. a. 1910

¹ *Analecta XII* (1983), 297–301.

Apostolico muneri tam mentis ingenio quam corporis habitu aptissimus, praedicationibus variis in Gallia et Alsatia-Lotharingia (quae tunc sub regimine Germanico erat) et Magno Ducatu Luxemburgensi magnopere incubuit: videlicet 162 missionibus, 24 renovationibus, 23 triduis sacris, 215 exercitiis spiritualibus. Ex quibus operibus postremum memorare velim, missionem inquam octo dierum, quam a. 1923 fere octogenarius solus, at non improspere, praedicavit. — «Ex oratoribus nostris maxime Alfonsianis unus» vocatus est a P. Desurmont.

Quamobrem cum grave onus Praefecti secundi novitiatus a. 1889 scepisset, exinde 106 iuniores Patres cum religionis tum apostolatus virtutibus instruxit. Cuius doctrinam quidam ex novitiis «solidam, plane Alfonsianam, vere paternam» fuisse testatus est.

Inde ex a. 1890 per 34 annos continuos Rectoris munus obtinuit in septem diversis domibus, primum in Provincia Gallico-Helvetica, postea in Vice-Provincia Alsatiae-Lotharingiae et inde enata Provincia Argentoratensi, cuius iure columna appellari meruit. — Ac primus quidem post tempus expulsionis (vulgo «Kulturkampf») Rector collegii Riedisheim renuntiatus (1895-1904), illic domum et ecclesiam B. M. V. de Perpetuo Succursu exstruendam curavit. In collegio Teterchen (1904-07) labores apostolici Patre Nusbaum regente ac promovente maxime creverunt, et nomen Instituti hisce in regionibus ample illustratum est, quod nempe grassante ista persecutione e multorum memoria recesserat.

A. 1907 Superiores eum ad moderandam domum studentatus Echternach vocant, cui 12 annos praefuit. Hac in domo spiritum caritatis feliciter excoluit. Exercitio Viae Crucis, Rosario B. M. V., visitationi SS. Sacramenti assiduus, omnibus, cum Patribus tum studentibus, aedificationi fuit, qui parum habuere admirari solum tale virtutis exemplar, verum etiam fortiter conati sunt idem imitari.

A. 1911 P. Nusbaum Provincias Lugdunensem et Parisiensem visitare iubetur, quo honesto quidem, at difficile munere recte ac probe functus est. Dum perhorrendum saevit bellum, Rector Epternacensis, etsi longe ab hostium proeliis aberat, multa tamen est perpessus, quae viri senescantis valetudinem non parum commovere. Cum pax orbi terrarum restituta esset, Patri nostro 75 annos nato piorum peregrinantium meta, scil. domus ad Tras Spicas, moderanda assignata est, quae et eius peregrantis ultima esse debuit vitae statio. Qua in domo tamen non impiger permansit, quippe aedi sacrae et ipsi domui, quae saeviente bello non nihil laesa fuerat, restaurandae atque ornandae strenue invigilavit.

Tandem cum a. 1924 onore rectoratus liberatus esset, totum se pietatis exercitiis dedit, dicere solitus non se delectari nisi sola oratione. Quem tamen spiritum pietatis non repentina tunc testatus est, cum multo tempore ante sacerdotibus ad exercitia spiritualia congregatis suassisset: «Si meditatio vobis difficilior evaserit, multa Rosaria recitate». Sacrum

quotidie fere usque ad obitum offerre potuit. Cum autem postremis mensibus saepe per totum diem angeretur, quomodo postero mane rubricas Missalis quam accuratissime servaret, suasum est ei ut a celebratione abstineret, cui consilio, licet dolens, consensit.

A. 1932 P. Nusbaum anniversarium septuagesimum — iubilaeum sane perrarum — professionis religiosae celebravit, quod festivitatum genus ei semper horrori fuit, quia tantos honores — uti aiebat — minime mereretur.

Paulatim tamen decrescunt vires, et d. 28 Febr. 1934 extrema unctione ac s. Viatico munitur. Saepissime Crucifixi imaginem osculatur, iterum atque iterum clamitans: « Iesu, Iesu, amo te! » Demum d. 9 Martii h. 12, dum *Angelus Domini* campanula pulsante ab assistentibus recitatur, spiritum Deo reddidit.

Citentur hic verba in imagine commemorativa inscripta: « Praeditus eximiis mentis ac cordis virtutibus, quas magnanimus Deo et animabns impendit, de Instituto suo, quod ut pupillam oculi diligebat, optime est meritus ». R. I. P.¹.